

P V I S

1 6 1 8



ORATIONES

- I. D. Pelargi de Libro Vita Mystico.
- II. Salomonis Frenchi de Jesu Christo Redivivo.
- III. Georgii Czusii Descriptio Holsaticae seu Cimbricae Arvis.
- IV. Bernhartini Benifacii Miscellanea Hymnorum &c.
- V. Abrahami Sculteti Concio Secularis.
- VI. M. Caspari Bucheri Actus Oratorius.
- VII. Actus Inauguralis introductis in Gymnasium Gothicense Rectoris.
- VIII. M. Thomae Sagittarii Orationes Duae.
- IX. M. Laubani Oratio de Disciplina Scholastica.
- X. M. Bucheri Oratio de Sapientia Patris Dno.
- XI. Francisci Schwabii Oratio de Ebrietate et Temperantia.
- XII. Justi Lippii Oratio de Obitu Johannis Wilhelmi Ducis Saxoniae.
- XIII. M. Izajmi Schmidt Oratio memoriae Laubmani habita.
- XIV. M. Benedicti Anthonij Oratio Exequialis manib. Johannis Bernhartini.
- XV. Programma in funere Pauli Rudigeri propositum.
- XVI. Programma sub funus Francisci Parovii propositum.
- XVII. Programma de Doctoratu Quatuor Theologorum.
- XVIII. Syllabus Lectionum Gymnasii in valle Joachimica.
- XIX. Praeambulum Lectionum Gymnasii in valle Joachimica.
- XX. Henrici Kitzschii Specimen Oratorium.
- XXI. Henrici Kitzschii Discursus Gemalis.
- XXII. Henrici Kitzschii Centuria Symbolon Chronologica.
- XXIII. De Stella Pergrina.
- XXIV. M. Benignus & Parelius


EX LIBRIS  
 ILLVSTRISSIMI VIRI,  
 DN. DAN. LVDOLPHI,  
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
 STATUS INTIMI, cetera,  
 BIBLIOTHECAE ACAD. FRIDERICIANAE  
 TESTAMENTO RELICTIS.

DA 1














*SALOMONIS FRENCELII*  
DE  
IESV CHRISTO  
REDIVIVO,  
*ET ÆTERNVM TRIVMPHANTE*  
Oratio,

Habita in incluta IVLIA.



HELMÆSTADII  
Excudebat Iacobus Lucius, Anno

---

M. D. xcvi.



IN  
VOCATIONE  
DE  
IHSU CHRISTO  
PREDICATIO  
AT. STEPHANUS  
OTATIO  
Habetur in indice LVII



WELCHER  
BAND DER LEOPOLDUS-BUCHER  
M. D. CC. CV.





HENRICO RANZOVIO,  
IOANNIS EQ. AVR. FILIO,

HEN. NEP. BREDON. PRON. CAII ABNEPOTI,  
DOMINO IN RANZOVV ET BREDEBERG ETC.

AVITAE VIRTUTIS AC GLORIAE HÆ-  
REDI ET PROPAGATORI:

GENEROSA SOBOLE DIVINITVS PHARETRATO:

TRIVM POTENTISS. REGVM,

INDVCATIB. SLESVICI, HOLSAT. STORMAR.

AC DITMARS. VICARIO,

PRVDENTISS. SENATORVM

IN AMPLISS. DANIAE REGNO

*NESTORI:*

HEROI TOGA PARITER ET ARMIS ILLVSTRI:

GERMANIAE LVMINI,

PATRIAE COLVMNAE,

LITERATAE NOBILITATIS ORNAMENTO,

OPT. STVDIORVM MECOENATI LITERATISSIMO,

SALOMON FRENCELIVS ACAD.

IVLIAE PROFESSOR ORD. PVB.

S. P. D.







VM & hæc Oratiuncula non abs re  
publici juris facienda esset, intellige-  
bam, de Patrono mihi dispiciendum  
esse, & eo quidem tali, quales omni-  
bus meis lucubratiunculis hætenus  
parare consuevi, videlicet non tam authoritate,  
quàm meliori literaturâ & virtutibus maximè  
conspicuo. Hic quis alius occurreret ante mul-  
tos, quàm qui inter eruditos nobilissimus, & inter  
nobiles est eruditissimus, tu inquam, Illustris Do-  
mine; cujus si genus intueor, generosissimus es; si  
famam, celeberrimus: si virtutem & doctrinam,  
utrâq; maximus, ut loquar cum omnibus intelli-  
gentibus, & horum præcipuo, Iusto nostro Lipsio?  
Breve est scriptum; sacrû argumentum, quod ad  
te mitto. Quis miretur hujusmodi quid clarissimo  
tuo nomini inscribi, cui perspecta humanitas tua  
magna, par eruditio, studium religionis planè se-  
rium? ut nihil dicam de singulari tuâ erga me be-  
neuolentiâ à tot annis, & literis humanissimis  
(præsertim cum me adhuc Regia Cæsaris mei cle-  
mentissimi complecteretur) & beneficijs luculen-  
tis hucusquè declaratâ? Mos hic meus, primùm  
crebrò exercere ingenium, cùm in disciplinis o-  
mnibus



mnibus honestis, tùm præcipuè in studio divinæ  
sapientiæ; deinde id sub virorum Illustrum præ-  
sidio Amicis testatum facere, quos habeo si non  
multos, (quanquam néque hoc ausim affirmare)  
certè potentes, illustres, & vere bonos, atq; cor-  
datos. Testes voco omnes, quibuscunq; aliqua  
mecum unquam fuit consuetudo, aliqua saltem  
notitia; & voco in primis jam I V L I A M testem,  
& non nisi castam voco. Tuæ erit, Ranzoviam  
plissime, humanitatis, & eruditionis, & pietatis,  
& prudentiæ, institutum meum non improbare,  
sed æqui bonique consulere. Præstitum à me, fa-  
teor, non quod debuit, sed quod potuit; idque o-  
mne tùm ad divini Nominis gloriam, cui vivo, &  
moriar, tùm grati animi memoriam tibi perpetuò  
conservandam. Equidem argumentum displice-  
re non poterit; stylus fortè poterit, ob non serva-  
tam ubivis æqualitatem. Sed quid facerem in tali  
ac tantá gravissimarum rerum Materiá, ubi à di-  
vinorum oraculorum proprietate atq; majestate,  
sacrorum insuper Interpretum autoritate disce-  
dere fuit religio? Quòd si quis sciscitetur, cur non  
pure latineque dicendi specimen in philosophi-  
co aliquo, aut civili, sive politico opere edam;



huic simpliciter respondeo: Mercatorum me esse  
imitatorem circumsectorum, qui prius mercan-  
tur præstabiliora, quàm vulgaria coemant. Insi-  
pentem quis non dixerit, qui cum locum habeat  
exploratum, in quo thesaurus defossus lateat, ta-  
men prius omne tempus per ambages divagando  
consumit, quàm ad thesaurum perveniat; incer-  
tus, an per vitæ vsuram sit perventurus? Ego qui-  
dem profectò, etsi non senex, omnem ætatem ita  
instituo, ac si in dies mors sit oppetenda: eamq; ob  
rem studium Religionis mihi est primum, quod  
solum in exitu vitæ præbet lucem, ubi aliàs omnes  
scientiæ frigent, sordent, atq; evanescent. Idque  
meo exemplo Iuventutē intelligere (novit is, qui  
perspicit omnia) etiam atq; etiam cupio, & enitor  
naviter. Ne tamen uno tantum in genere laudem  
aucupari videar (quanquam hoc solum omninò  
sufficere possit) erit fortasse brevè, quod in alio, di-  
viná favente gratiâ, documentum edam. Neq; e-  
nim (vt DEO laudem tribuam) omninò mihi de-  
est ingenium, aut Natura; nec voluntas, nec co-  
natus; nec honestissimum incitamentum, nec ad-  
versus iniquos censores, si qui sunt, (sed quid sint,  
cum selectissima tātum Livor occupet?) iusta pa-  
rata-



rataq; defensio. Habeo animum DEO, Reipub.,  
Amicis serviendi: habeo, qui studia mea tueatur,  
potentiss. meū Dominū Henricum Iulium, vestrae  
Daniae verae Affinē carissimū, quem optimi quiq;  
amāt, oderunt non nisi pessimi, bonae famae hiru-  
dines, vel rerū omnium ignari. Tuæ dixi humani-  
tatis esse, generose Heros, tuæ eruditionis, quæ u-  
niverso terrarum orbi admirationem conciliavit;  
tuæ cū primis pietatis & sapientiae, hāc praesentem  
opellam meam boni consulere, & in bonam par-  
tem interpretari. Id ut facias, dum aliquid sequa-  
tur plenius & perfectius, & ut prius me non amare  
desinas, quàm ego in praedicandis virtutibus tuis,  
quovis viro principe dignis, defatigatus fuero,  
quàm possū maximè abs te peto. Ita te salvere ju-  
beo, & cum Serenissimo ac verè Christiano Rege  
tuo, tum etiā Collegis tuis omni laude majoribus,  
in hac summā senectute & dignitate tuā diu DEO  
& Reipub. Christianae valere, magnopere opto:  
quod ut sit ratum, cōcludo hāc Epistolā disticho,  
quod scis me ante biennium in cœna tuā ad latus  
tuū cū poculo, eā qua par est, reverentiā porrexisse:

Nestoris HENRICVS RANZOVIVS exigit ævum:  
Utque diu vivat, vivat amore DEI.

In Iulia, vii. Eid. Majas, Anno .sal. nostrae M. D. XCVI.



CLARISS. VIRO, DOMINO SALO-  
MONI FRENCHELIO, ORATORI, AC  
poëtae eximio, amico & collega suo  
optimo, charissimo &c.



VI tener in cunis jam pridem vagiit infans  
Vivida coelestis, Christus, Imago patris:  
Perq; ministerii cursum mala plurima passus  
Pertulit indignâ conditione necem.  
Redditus Is vitæ superas jam prodit in oras,  
Invictâ ostentans parta tropæa manu,  
Summaque conscendit Fastigia Victor honoris,  
Qui prius in mundo spretus inopsque fuit.  
Quanta tua est pietas? nam, quod semel Ille peregit,  
Tu toties memoras dulce salutis opus  
FRENCHELI: laudis tua Mens, tua Lingua ministra est  
Aetheriæ: Ingenio res ea digna tuo.  
Sicalacer diæ stadium decurrere laudis  
Perge: tuum cinget florida palma caput.  
Si te dura premat, fidenti pectore contra  
Nitere: non te vis opprimeret ulla tamen,  
Quem toties laudas, Deus in pia vota vocatus  
Non finet eventu vota carere bono.  
Ipse tuam famam justissimus adferet Vltor,  
Et tibi propicius mitia fata dabit.  
Perge modo ingenii posthac ita dotibus uti:  
Invitâ Invidiâ sic tibi crescet honos.

*M. Laurentius Scheurle Ulmensis, S. Th. in Illustri  
Julia professor, pastor, & generalis Sup.*

ORATIO



ORATIO  
DE IESU CHRISTO REDIVIVO.

**H**orribilis rerum omnium facies, ad quas-  
cumq; totius terrarum orbis partes oculos  
sive corporis, sive animi convertamus,  
horribilis rerum facies! tot enim jam  
annos tot florentissima regna, & ferè o-  
mnia, bellis atq; tumultibus, quorum finis hætenus pro-  
spicitur nullus, miserandum in modum ardere videmus.  
Germania quidem iis magná ex parte hucusque, sed eo-  
rum metu tamen minimè vacat; imò in majori nunquã  
constituta fuit, quàm in hoc seculorum agone. Nam im-  
minent cervicibus nostris desperatorum hominum fla-  
gitiosi greges, immanissimi & ferocissimi Turcæ, qui  
non humanorum gentium more arma capiunt, ut victo-  
riã potiantur, pristinasque sedes retineant (quem Cy-  
rus apud Xenophontem suis bellis finem statuit) sed ut  
crudelissimã familiarum divulsione, abductis dissipa-  
tisque Colonis veteribus, everfis Ecclesiis, scholis, po-  
litiis, terras vi acquisite novis & barbaris hospitiibus  
impleant. Et si verò illi superiori æstate, aliquot præliis  
accisi, prostrati, fugatiq; & ad internecionem propè,  
soli DEI Opt. Max. auxiliaribus copiis, redacti sunt:  
B nullum



nullum tamen est dubium, novum illorum Imperato-  
rem, κακὸς νόμος κακὸν ἄνθρωπος, Furvenem audacissimum  
& acerrimum, viribus longè majoribus bellum à Patre  
susceptum, sub hoc verum tempus esse instauraturum;  
& jam non solum ex urbibus, & agris omnibus ingen-  
tem numerum levissimorum hominum collegisse; ve-  
rùm etiam ad tam nefarium sceleris fœdus, ad invaden-  
dam non reliquam duntaxat Ungariam, verùm  
etiam Germaniam, Patriam nostram carissi-  
mam, quam spe jampridem devoravit, ingentia Scy-  
tharum agmina adscivisse, quorum immanitas atque  
feritas nullis potest verbis enarrari. Vulnera porrò no-  
stra quid oratione attingam, cum sanare non possim?  
Si civiles solum dissensiones videantur; si attendatur,  
quanto furore ab omnium scelerum improbissimis ma-  
chinatoribus magis magisque inflammentur; si, in-  
quem finem desitura sint, ex omnium intestinorum mo-  
tum, quotquot historiis pervulgantur, eventu presagi-  
re liceat; quis non toto cohorrescat pectore? Non jam  
amplius mediocres hominum libidines, non humana ac  
toleranda audacia. Omnia jam sibi invicem adversan-  
tur. ex hac parte pugnat honestas, illinc turpitudine: pe-  
tulancia insectatur pudorem, impuritas pudicitiam; fidei  
fraudatio detrahit; pietati scelus; constantiam impetit le-  
vitas;



*vitae; furor continentiam: cum fortitudine certat igna-  
 via, cum equitate iniquitas, cum temperantiâ luxuria,  
 temeritas cum prudentiâ, turpes divitiæ cum honestissi-  
 mâ egestate litigant; bona rationi insultat perdita; amē-  
 tia cum sanâ mente concreditur, bona spes à rerum o-  
 mnium desperatione ferè profligatur: virtutibus deniq;  
 omnibus omnia vitia extrema intentant omnia. Nulla  
 ampliùs religionis est sanctitas, nulla legum reverentia,  
 nullus amor Patriæ, nulla cognati sanguinis necessitudo.  
 Maximam Mortalium partem jam pridem fides de-  
 ficere cepit. Qui Bonorum interitum, acerbissimorum-  
 que odiorum incendia suis sermonibus eruçant, qui mē-  
 te consceleratâ imperio inhiant; hi se præferunt innocen-  
 tibus: inertes fortissimis dominantur, stultissimi pru-  
 dentissimis, ebriofum sobriis, dormientes vigilantibus.  
 Talem ergo rerum conditionem talis eventus sequetur,  
 qualem Tragicus vates hisce versibus denunciât:*

*ὅπως σοφισμάτων γέμισιν οἱ ἐν τέλει  
 ἐχθρὰς τ' ἰδίας ποῖσιν πλάσαντες πρὸς  
 ἢ τὴν κέρουσαν πατριίδα, ἢ δὲ τὸν θεόν:  
 ὅπως δ' ὑβρίζου, δράν δ' ἀβέλετον περὶ  
 παύτῃ νόμιζε τὴν πόλιν χροῶν ποτε  
 ἐξ ἑρίων δραμαῶσαν εἰς βυθὸν πέσῃ.*

*Vbi Sophistices potentum detinet  
 Mentis amor, Deo que summo præferunt*

B 2

Terræ



Terræ Patriæq; cum suas injurias :  
Vbi petulanter facere, quod libet, licet,  
Legumq; vox, & ira DEI vindicis  
Ridentur, & inane nomen est pudor,  
Magno ruet ventis secundis impetu  
Mox in profundum merfa tota civitas.

*Profectò hæc sunt signa, quæ testantur, fatum impende-  
re extremum, & pœnas jam diu improbitati, nequitia,  
sceleri debitas, ipsumque præ foribus esse momentum ea-  
rum mutationum, quas totius Orbis occasum, & univer-  
sale judicium præcessuras ipse Filius DEI prædixit. Lu-  
ctuosum jucundissimo orationis argumento exordium,  
Auditores lectissimi, prætexere vobis forsitan videor.  
Verùm tametsi fieri secus nõ potest, quàm ut ii, qui pror-  
sus non sunt ἀπηλκόμενοι, tot tantorumq; malorum conspe-  
ctu vehementer consternentur; imbecilliores autem va-  
riis de DEO dubitationibus implicentur; tamen ut ani-  
mos concussos erigamus, omnemque luctum piâ hilari-  
tate temperemus (quâ temperaturá DEVS mirum in  
modum delectatur) duo sunt præcipuè: Alterum hujus  
temporis amœnitas, alterum solennitas. Illa in oculis est  
omnium, estque tanta, ut natura vernantis facies, in o-  
mnibus flosculis, in arboribus, in herbis, ipsaq; adeo vo-  
lucres, magnum per inane volantes, suavissimis concen-  
tibus ad latitiam homines invitent; ut verè in hymno suo  
cecinerit Fortunatus, Pictaviensis Episcopus:*

**Ecce:**



Ecce renascentis testatur gratia mundi,  
Omnia cum Domino dona redisse suo.

*Hæc in universâ salute nostrâ consistit; ab eâq; tota proficiscitur. Hæc inquam temporis solennitas Pascha est nostrum, quo uno opus Redemptionis nostræ absolutissimum complectimur. Nusquam DEVS, pro ineffabili suâ bonitate atq; sapientiâ in hac malorum colluvie, à quibus sermonem nostrum orsi jam sumus, veræ solidæq; consolationis argumenta vult queri, quàm in suâ Resurrectione, nusquam fructus decerpi, quàm de tropæis suis, quibus Sol nec quicquã vidit gloriosius, nec videbit unquam. Qua propter, cum nihil solatii superesse videatur, ubi vita per mortem evanuit; ab ipsis cunis Christi progrediemur, à laboribus, à periculis, à supplicio ad latissimam <sup>nat. et sp. q. n. r.</sup> In hac exultabit & triumphabit nostra oratio. Ne autem fides de sit verbis, narrationem ab initio historicam, quantâ fieri poterit brevitate, instituemus. nec displicebit forsân alicui, si eâ prosopopœiâ haud inconcinnâ virtutum aliquot divinarum illustrabimus. Posthac, ne rebus de sit anima, ut nuper in opere nascentis Christi, sic hîc, quæ præcipuè in opere Resurgentis mirabilia evenerunt, percensere, certisq; testimoniis comprobare, operæ præcium judicamus. Sæpè enim rerum magnitudo in obscuro relinquitur, quùm ad penitiora non proceditur. Denique, ne citra omnem usum solùm*



habeamus compertum, quod in hoc opere gestum, & ge-  
stum quàm mirificè; ne nucem tetigisse, nucleum non  
gustasse videamur, in commemoratione amplissimorum  
fructuum, qui ex triumpho Christi, tanquam ex limpi-  
dissimo ac saluberrimo fonte promanant, sermonem ter-  
minabimus. Vos, viri clarissimi & præstantissimi,  
Collega observandi, Adolescentes optimi & nobilissimi,  
majorem in modum oro, uti me de tot tantisq; rebus non  
pro dignitate, sed pro modulo ingenii mei dicentem, beni-  
gnè audiatis, & incultum hoc orationis genus, cui nun-  
quam non à Mysticarum literarum proprietate disce-  
dere non fuit integrum, æquitate judicii vestri condeco-  
retis. vestrà enim humanitate in banc spem sententi-  
amque sum ingressus.

Vix expiraverat Author vita, vixq; à Iosepho ter-  
ra fuerat mandatus, quùm humanum genus acerbissimo  
mærore adfligi, & penè de salute suâ desperare cœpit.  
His enim querelis, quasi cum DEO contentione decer-  
taturum, omnes auras, omneq; cœlum complevit: quam-  
obrem, ò DEVS, tuam (inquit) avertis faciem à na-  
turâ, quâ nihil condidisti nobilius? cur te inopia & ca-  
lamitatis nostræ tam alta occepit oblivio, qui tamen tibi  
procuracionem redimendi generis nostri depoposceras?  
Iam spes omnis tecum concidit, tecum sepulta est, quo-  
niam



nam animam nostram pulvis depressit, & conglutina-  
tus in terrâ squalet venter noster; siquidem tu in sepul-  
cro permanes. Perruperat hic planctus nubes, & ipsa  
(ut dixi) sidera, atque ita ad illas quinque sanctissimas  
Dominas, quæ uno domicilio, perpetuâque societate per-  
fruuntur, etiam pervaserat: ad Iustitiam scilicet, Fi-  
dem, Spem, Charitatem, & Sapientiam, de quibus re-  
gius vates: Misericordia & veritas obviam verunt sibi: <sup>Psal. 85.</sup>  
Iustitia & Pax se mutuò osculatae sunt. Hæ cognitâ  
ejulatus causâ genus mortalium bono esse animo jusse-  
runt, affirmantes futurum, ut Dominus Misericor-  
diam simul & Potentiam exsereret inauditam, ac  
terra, sepulcrum videlicet, fructum suum redderet, nem-  
pe Christum Iesum. Mirum hoc & incredibile gene-  
ri humano visum fuit (tanta ejus imbecillitas, tanta  
perversitas!) quòd Pater Filium in summis angustiis  
deservisset, in extremo vitæ articulo, teste ipso Filio,  
jam jam animam in cruce exhalaturo. Verùm ascen-  
derunt illæ in Solium, & conspectum divine Ma-  
jestatis, ut, quod ad opus Redemptionis humane perfi-  
ciendum supererat, id quamprimum daretur effectum.  
Tum IVSTICIA, quæ præibat cæteras, voce seda-  
tâ, Pater (inquit) justissime, sine quid te orem, sed si-  
ne exorem: si me imperare vis Mortalibus, si meam  
in Or-



in Orbe salvam vis auctoritatem, fac exitus cōtestetur,  
*Mich. 7.* quod Michas Propheta tuo de Filio à morte revocan-  
do, & de me pariter vaticinatus fuit jam olim: Ego ad  
Iehovam aspiciam, clamat ille, & expectabo DEVM  
salutis meæ. Audiet me DEVS: ne lateris Inimica  
mea propter me, quòd ceciderim: surgam: si sedero in te-  
nebris, Iehovah lux mea: Iram Iehovæ feram, quoniam  
peccavi ei, donec iudicet causam meam, & faciet judi-  
cium meum: educet me in lucem, & videbo IVSTI-  
TIAM ejus, & aspiciet Inimica mea, & operietur  
eam Pudor; quæ dicebat ad me, ubi est Iehovah DEVS  
tuus? Oculi mei videbunt in eam. Ne prohibe, DEVS  
omnipotens, quòd minùs id finem assequatur suum, quod  
*Psal. 139.* David vir tuus in personam Filii tui pronunciat: Tu co-  
gnoscis sessionem meam, & Resurrectionem meam. Et  
quod Beata Mater ejusdem Filii tui tum latissima,  
nunc in acerbissimum dolorem precipitata, cecinit: De-  
traxit potentes è thronis, & extulit humiles. Jam quòd  
humiliùs potuit se demittere Christus, tua cura, tuum  
cor, quàm usque ad infamem furcam? Est igitur equis-  
simum, ut vicissim supra omnia honorum fastigia per  
novam vitam evebatur. Hæc prior. Successit Virago  
altera FIDES, hanc ferè supplicationem apud DE-  
VM deponens: Ad te Domine clamabo, & ad DEVM  
meum



meum deprecabor. Quis erit usus sanguinis, quem pro-  
 fudit Unigenitus tuus, si perfidissimorum Iudæorum pe-  
 dibus in monte conculcabitur, si fœdissimam corruptio-  
 nem patietur? Nunquid tuam Majestatem prædicabit  
 pulvis? Ecquis hominum adduci poterit, ut credat:  
 Christum fuisse DEVM, verum inquam DEVM,  
 Deum æternum, DEVM omnipotentem? aut quis  
 Apostolorum veritatem divinitatis ipsius, meque in eâ  
 amplectetur, atque tuebitur, quando miseri à sese nuper  
 tam turpiter me profligarunt, cum deserto Domino de-  
 speratam in fugam se conjecerunt? quomodo stabit testi-  
 monium illud Davidis: In omnem terram exiit linea <sup>Psalm.</sup>  
 eorum, & in extremum Orbis eloquia eorum? quòd si <sup>19. 5.</sup>  
 ab interitu vindicabitur nõ statim; inanis futura omnis  
 prædicatio: inanis futura ipsa ego, utpote que in divini-  
 tate & humanitate Christi tota consisto: neque enim  
 alterum sine altero fas est credere: ideoque ut mea mihi  
 auctoritas inviolata permaneat; oportet, citò carissimus  
 tuus in vitam redeat; ac ne utiquam opus hoc maximum  
 in finem mundi differatur. Ad stabiliendam quidem  
 & humanitatis ejus & mortis veritatem, moram ali-  
 quam inter vitæ amissionem, ejusdemque recuperatio-  
 nem intervenire, necessarium esse, quis te providet me-  
 lius? quis verè ipsum è vivis decessisse negabit? quis tam  
 C perfri-



perfricta erit frontis, qui potius illum passum animi deliquium adfirmabit, si tertia die vitam recipiat, quandoquidem intra triduum in quovis homine, qui pro mortuo habetur, & tamen animam nondum efflavit, aliqua apparent vitæ indicia? nihil hæc in gravissimo conspectu tuo verborum faciam de numeri ternarii mysterio, qui perfectissimus, quia principium habet, & medium & finem: nihil de eo, quod Christo una morte, quæ propter Justitiam lux fuit, duplex mors fuit destruenda: altera corporis, anima altera, quæ utraq; propter labem generi Mortalium inustam nihil tenebrosius, idæoque non amplius, quàm diem unam integram duasque noctes in potestate mortis esse ipsi permanendum. Taceo, quod te ipso Judice videtur æquissimum, ut nempe Filio tuo tertio die resuscitato tertium Mundi tempus capessat initium. Scis enim, Deus, primum fuisse ante Legem, secundum sub lege: tertium destinatum esse gratiæ. Ut igitur tertius Sanctorum status omnium beatissimus tum in victoriâ Filii inchoetur, tum in æternitate gloriæ consummetur, & ne Christianis laus mea pro crimine objiciatur, quasi fiduciam in e mortuo collocent; atque ita ego succumbam, aut à mentibus hominum discedam; sed ut de reviviscente, triumphante, regnante Christo tot Vatum tuorum præ-  
sagitio-



sagitationes impleantur, & sic mihi meus, tibi Domine  
in primis tuus constet honos, fac iterum vitá potiatur Fi-  
lius, unde vitá omnes impertiat Fratres. Vix hæc au-  
dire poterat DEVS pater, quum in hæc verba erupit:  
Renovabitur ut aquila Inventus tua. Nec plura:  
quibus lubens contenta Fides, ad Socias sese cum his vo-  
cibus convertit: *Audivit Dominus, & misertus est*  
*mei: Dominus factus est Adjutor meus: convertisti*  
*placitum meum in gaudium mihi: concidisti saccum*  
*meum, & circumdedisti me letitiá, ut cantem ti-*  
*bi gloria mea, & non compungar, Domine DEVS*  
*in æternum confitebor. Fidei SPES proxime ad-*  
*stans vultu modesto ad DEVM propius accessit,*  
*eumque ingenti gaudio tripudians sic affata dicitur:*  
*O gratissimum Fidei nuncium! ob hoc letatur Cor*  
*meum, & exultat lingua mea, insuper & caro*  
*mea. Christum in sepulcro quiescere scio; sed exi-*  
*turum inde audio. Exsere virtutem tuam ó DEVS,*  
*& ostende, verum dixisse ante tot secula vatem tuum:*  
*Non derelinques animam meam in sepulcro, nec per-* Psal. 16.  
*mittes misericordem tuam videre corruptionem. Et quod* 10.  
*Iobus mirificum illud patientiæ exemplar meo instinctu*  
*pronunciavit: Ego quoque novi Redemptorem meum*  
*esse viventem, & novissimum, qui super terram surget:*



Et ex carne meá videbo *DEVM*: reposita est mihi  
hæc spes in sinu meo. Quando igitur genus humanum  
novit, omnibus esse moriendum, è morte verò in aliam  
vitam commigrandum, non novit, atque ideò, quod ti-  
meat, habet; quod speret, non habet; nisi propter futuræ  
vitæ præmium fato sanctis spem resurrectionis indubi-  
tatam suscitet, qui propter disciplinam timorem mortis  
auferre instituit; idem ego quoque, ò misericors Pater,  
abs te peto, quod meæ jam Amicæ impetrarunt, ut ni-  
mirum vivat Filius tuus, Et ego in illo cum omnibus,  
qui universam salutem suam jam inde à mundi exordio  
mihi fidenter commiserunt. Dixerat Et hæc, cui Pater:  
Non committam, ut tu, tot luculentis promissionibus no-  
stris insistens, quenquam fefellisse dicaris. Vivet Me-  
us ille, Et tu cum eo in omnem perpetuitatem triumphabis.  
Hæc audiens Charitas, virgo amabilis, Et vere-  
cundiæ plena, quod vellet, pluribus exposcere parùm ju-  
dicans necessarium, Ecquid à te (ait) mi Pater, queam  
petere, si ve etiam contendere, quod negare possis, qui  
cor animumq; tuum mihi ante seculorum omnium seri-  
em habitandum colendumq; concessisti? Paucis igitur  
rem totam comprehendendo: Qui immensá victus Chari-  
tate Et subiit, Et sustinuit mala omnia, morte quasi su-  
perante, ut ab infinitis malis Et crudelissimo Satana  
domi-



dominatu liberaret homines; is morte superatá, sempiternaque turpitudine depulsá, ad immortalem gloriam transeat, ut Mortales summis bonis ornet atque amplificet, & sic in eos totam me diffundat. Placuerunt DEO paucissima prae omnibus; idque haud obscure declaravit. Sic enim Charitati suae retulit: Qui te suadente, mea Filia, è gloriosissimo regno in exilium sese demisit miserimum; qui te impellente divinitatis splendore squalorem humanitatis assumere haud recusavit; qui te rogante è Domino factus est servus; è beatorum delicio nequissimorum ludibrium, è domitore Mortis, ejusdem praeda; is ab exilio in regnum revertatur, ex servo fiat Dominus, è ludibrio perditorum amor Servatorum, è praeda predatorum vindex. Nam in tuto erant omnia; idque Sapientia quidem, non illa humana, quae DEO est stultitia, verum caelestis magná cum voluptate intelligebat; sed quae adderet, erant non levia: ac propterea carissimarum sororum vota singula quodam corollario exornatura in hunc modum audita est differere: Origomea à te est, tua ego sum, per te sum, quicquid sum, sapientissime DEVS. Omnia à te miraculose instituta confecta que sunt: omnes terrae tuae possessione impletae. Cum hanc pulcerrimam caelorum structuram preparares, tecum eram: à te enim ante res omnes creatas pri-



mogenita prodii. Ego illa sum, quæ Prophetas veritatis lumine ornavi, donis quæ intelligenti & liberalissime instruxi; tu me gubernandis Patriarcharum operibus præfecisti; viros ego sanctos in tuis Institutis præceptisque confirmavi: quid? Filium ego tuum in terram demisi, ut æternam felicitatem turpiter amissam toti hominum generi splendide recuperaret. Hoc ergo desideratissimum opus ut finem, qui unus restat, assequatur; jube omnipotens DEVS, ut suam virtute dilectissimus tuus Filius in lucem hanc redeat, jube hanc sedem, hoc tribunal occupet, seque ipsum in pristinam dignitatem reponat: quò cum primis decretum tuum magnificentissimum, quod Interpretum tuorum vaticinationibus promulgasti, perfecte prodeat. Ceterum Pater, quando de hoc quod postulo, nihil reliquum est dubii, nunquid placet, ut peculiare tempus negotio assignem tam magno, tam stupendo, & imitabili nulli hominum, nulli angelorum? Univer- sam hanc Mundi fabricam mense Martio primum ex- struxisti: quid nã eadem in Martio resurgentis Christi gloriã primum reparetur? Hoc mense homo incautus à versutã bestiã circumventus, & durissima servituti subjugatus creditur: eodem igitur in libertatem pristi- nam per victoriam Christi collocetur. Pharaone submer- so copia Israëliticæ ex Ægypto evaserunt in Martio: in  
Mar-



Martio igitur Fidelium cætus, prostrato capitali hoste  
Diabolo, ab Inferis egrediatur. Si præterea hoc mēse Fi-  
lii Israël pro admirabili liberatione hymnum tibi decan-  
tarunt; cur non eodem Sancti tui triumphanti Domino  
persolvant laudes, quantas animo possunt concipere ma-  
ximas? Porrò quid memorem de die? quo Mundum  
creasti, dies fuit Dominicus. renovet ergo Mundū atq;  
illustret Christus suo triumpho, eodem die. Angelos hac  
luce condidisti: eadem ergò Angelorum choris associen-  
tur, quos ex Majoribus habes in carissimis. Legē olim  
tuam Ebrais hac die tulisti: Lex igitur Fidei, Lex spiri-  
tus vitæ, lex Majestatis, in mentibus discipulorum hac  
die sanciatu atq; roboretur. Lucem hanc Mundo die  
Dominico invexisti, unde quasi vitam ille accepit: quid  
nō, Domine, hoc die homines novā luce circūfundantur,  
quā duce arcū triumphalē secure subeant. Deniq; si ma-  
tutino tēpore populus Israëliticus Tyranni manibus ela-  
psus fuit; placeat tibi DEVS sub juscundū auroræ tempus  
captivorū agmē ex umbris in lucē produci. Ac veluti nu-  
perrimē Christo in judiciū Pilati admodū manē detru-  
debatu: sic cum primā luce lucem ille vitalem recipi-  
at. Audiit DEVS suam Sapientiam, eamq; suaviter  
complexus, in momento Filium cavernæ inclusum com-  
pella vit: Exurge mea gloria, voluptas mea exurge. Ecce  
antiē cum verbo terræ motus repente factus est, quo longē



lateq; omnes incolæ exterriti, ac tantum non exanima-  
ti, custodes præcipue Monumenti penitus consternati,  
Et in celerrimam acti fugam, urbem repetiverunt. So-  
læ Mulierculæ, quæ Christum ad locum supplicii comi-  
tari non fuerant veritæ, animum colligentes, Et singu-  
lare aliquid ex tam ingenti motu sibi invicem præsagi-  
entes, ad tumulum saxæum satis grandem deproperarunt,  
in quem capita percupidè declinantes (anteriorem enim  
saxi molem iam a motam animadvertent) formosissi-  
mos Iuvenes duos, oculis ceu fulgur micantibus, candi-  
dissimaque stolâ amictos conspexerunt; Christum verò  
nullum. Quamobrem attonitis Mulieribus Angeli  
istuc cœlitus demissi rem gestam paucis hisce exposue-  
runt: Faceffat hinc omnis metus, omnis sollicitudo, omnis  
mœstitia. crucifixus ille, quem vos tam anxie queritis,  
hîc amplius non est; surrexit, uti se facturum prædixerat:  
ecce locum, quo decubuit, vacuum. res ita se habet, Ma-  
trona; discedite, Et potentiam viventis narrate omni-  
bus, cum primis Petro, nec quicquam dubii in animis ve-  
stris surrepere patiamini. Brevis, quem hîc frustra que-  
sivistis, in Galilæâ vos præcedentem hisce vestris oculis  
conspicabimini. Absit igitur à vobis omnis pavor, o-  
mnis suspicio: abite, credite, plaudite. Hæc Historiæ  
series eò quidem contexta succinctius, quò notior illa

omni-



omnibus. Certè  $\text{I E S U S}$  noster verissimè appellatur  
*IMMANUEL*, verissimè dicitur *Admirabilis*, si-  
ve *Mirificus*, non tantùm Personæ respectu, quia *DE-*  
*VS*  $\text{\&}$  *Homo*, *Homo*  $\text{\&}$  *Deus*, in unâ personâ: verùm  
etiam tùm ob doctrinam, cuius vim mirandam in recu-  
perandâ salute nostrâ exeruit, exertamq; stupendis mi-  
raculis confirmavit: tùm ob officium, quod in liberandâ  
ac defendendâ Ecclesiâ mirabiliter gerit  $\text{\&}$  admini-  
strat. Equidem in toto humanæ Redemptionis opere nihil  
non est admirabile, duo tamen præcipuè eminent mira-  
culosa, quæ Christo sunt propria: Nativitas ex virgi-  
ne,  $\text{\&}$  resuscitatio ex mortuis, de quibus Augustinus:  
Ipsius Salvatoris propria singulariaque miracula sunt:  
maximè Nativitatis  $\text{\&}$  Resurrectionis, in quorum uno  
Maternæ Virginitatis tantummodò Sacramentum, in  
altero autem etiam eorum, qui in sine resurrecturi sunt,  
demonstravit exemplum. De priori in Genethliis dixi-  
mus; posterius ex historiâ recitatâ nunc evolvendum  
suscipimus. Ac primùm quidem admirationem mere-  
tur summam, quòd qui mori potuit, qui omninò debuit,  
ut pœnam ultimam peccatis debitam exolveret, corrup-  
pi tamen  $\text{\&}$  putrescere non potuit: quam *diaphorè* pœnam  
peccato severus rerum Arbiter *Jehovah* constituit. Ita  
enim Adamo statim post lapsum minatur: pulvis es,  $\text{\&}$  Gen. 3.19  
D in pul-



August.  
Tract. 84  
in Ioan.

Esai. 11.

Plin. lib.  
36. cap. 5.

in pulverem reverteris. At Christus, quanquam omnem  
scelerum molem in suos humeros bonus susceperat, man-  
sit tamen, qui ab aeterno erat, ἀράμει πλντⓄ ηγὶ ἀυονίϋ διϋⓄ.  
Unus ille fuit, qui & carnem hominis habere, ut Au-  
gustinus loquitur, & peccatum potuit non habere. Nec  
verò etiam nobilissimum illud corpus, quod indissolubili  
fœdere divinitati erat unitum, in cineres atros resolvi  
decebat. Et si enim illa naturalis corporis & anima Vnio  
fuit soluta, atq; ita Christus veram mortem oppetiit; hy-  
postaticam tamen sive personalem duarum naturarum  
conjunctionem in morte etiam mediâ dissolutam dicere,  
furor est, & atrox in DEVM contumelia. Quin imò,  
quantumvis licet summis in angustiis & doloribus de-  
sertum se à DEO querebatur Christus, nunquam tamē  
ejus divinitas humanitatem, semel nexu inseparabili si-  
bi sociatam, omninò deseruit; verum ea post mortē etiam,  
& corpori exanimi in sepulchro, & anima in paradiso  
fuit presentissima. Idcirco frustra muliercula unguen-  
ta parant, ut sacrum Domini corpus à putredine intactū  
servent, quod aliàs corruptum iri, aut posse corrumpi pu-  
tabant. Hinc illud Esaiæ: Requies ejus erit gloriosa:  
in ipsâ videlicet morte ejus eminebit gloria, splendor in  
ipso tumulto, qui omnia Mausolea, & sepulcra Carica  
facile obscurabit. Mortem Alexandri illius Magni,  
si cum



si cum hac comparetur, an aliquid gloria habuisse dice-  
mus? imò Mors gloriam tanti Monarchæ finit atq;  
abrupit. Collocabatur quidem cadaver in sellâ aureâ,  
& è Babylone Alexandriam Aegypti transvehebatur;  
at interim à putrefactione & vermium arrosione  
non erat liberum. Cum enim longopost tempore Au-  
gustus Caesar Alexandriam venisset, ac in cryptam de-  
scendisset, potentissimi regis visurus monumentum; ibi  
aëre leviusculè agitato conciderunt omnia. Aliorum  
Regum, maximorumque Imperatorum omnium monu-  
menta etsi foris auro argentoq; coruscant; intus tamen  
ossa, cineres, putredo, fœtor: solum **ESV CHRISTI**  
sepulcrum solidum, purum, incorruptum. Porrò hor-  
ribilem illum terræ motum à Mirabilibus in hoc opere  
non excludendum esse censemus: tametsi huiusmodi fre-  
mitus, mugitus, atque motus suas habere à naturâ cau-  
sas non ignoramus; tamen nequicquam factum hîc  
nihil. Paullò antè, Christo Spiritum emittente tre-  
muerat & immugierat terra, magno concussa fra-  
gore, quasi indignè ferens, Creatorem suum modis  
tractari tam indignis: petrae ingentes scissæ: rupes du-  
rissimæ in locis desertis remotisque dissilierant. Nunc,  
eodem Spiritum recipiente, tellus quasi singulari letitiæ  
motu agitata exultat; velut olim in exitu Israëlitarum

Garcaus  
in Mete-  
or. fol.  
419. &  
seq.



Psal. 114. de Ægypto montes subsilierunt, ut arietes, & colles si-  
 cut agni ovium. Quàm verò in hoc terræmotu stupen-  
 dum, quòd Dominus excitatus humo se tollit virtute pro-  
 pria; propria inquam virtute, ut testatum faciat,  
 non solum se per se ipsum deponendi animam, sed & rur-  
 sus assumendi habere potestatem. Quis ullum unquam  
 Mortalem suis viribus in vitam rediisse, auditione si-  
 ve literis accepit? Exuscitati quidem sunt alii, sed ab a-  
 liis, qui & ipsi non suâ, sed divinâ virtute per eos vires  
 exerente, opera tam stupenda patrârunt. Atqui tamen  
 DEVS Jesum à mortuis revocasse sacris passim literis  
 confirmatur: quâ ergò suâ prodiit virtute? prodiit sanè.  
 nihil hîc commentitium, nihil absurdum. Ipse enim Fi-  
 lius fatetur, à Patre se glorificari, imò hoc ab ipso petit;  
 cumque sit ὁμοούσιος Patri, par ipsi essentiâ, gloriâ, pote-  
 state, inde fit, ut cum Patre ὁμοίως operetur, & agat o-  
 mnia. Equidem opera SS. Trinitatis ad extra (ita  
 Augustino loqui placet) sunt indivisa, atque commu-  
 nia: cuiusque tamen persona servandam esse proprieta-  
 tem, evidentissimè edocemur. Solus enim Filius surgit;  
 Pater tanto placatus sacrificio eundem suscitât; Spiritus  
 Sanctus itidem, quod suarum est partium, exequitur,  
 atque hoc opus immortalitati consecrat. Quo verò pa-  
 eto ad corpus suum suscitandum auxilium usurpare alie-  
 num

Ioh. 10.  
 Rom. 1.

Ioan. 8.

Ioan. 17.

Ioan. 5.

Ambros.



num potuit, qui alios toties suscitârat? Traducit & hoc  
 animos ad singularem admirationem, quòd ostio Mo-  
 numenti occluso (lapidem enim illum postea demùm ab  
 Angelo revolutum fuisse, clarissimis testimoniis ma-  
 nifestum est) Christus è terrâ corpus extulit. neq; tamen  
 res in dubitationem adduci debet. Qui enim ex clauso  
 Matris utero exiit, idem ille clausum penetravit tu-  
 mulum; nec multo post clausis foribus ad discipulos est  
 ingressus. Quâ sanè in re non aliquam Naturæ muta-  
 tionem; sed divinæ potestatis operationem, dignitatemq;  
 glorificati corporis demonstrare voluit. Nam & antè  
 super liquidas maris aquas, tanquam super stratam soli-  
 damq; terram, inambularat, neque id in suo ipsius tan-  
 tum, sed etiam in Petri corpore effecerat, ne pro naturâ  
 rerum gravium mergeretur statim. qui hoc præstitit in  
 alieno corpore, quid non faceret in suo? qui tantum potuit  
 in corpore humili, quid non posset in glorioso? Manet  
 tamen miraculum, quod imitari potest nemo. Hinc Na-  
 zianzenus in Tragœdiâ (ὁ χειρὸς πάσχων) quasi obstupe-  
 scens exclamat:

Matt. 28.

Matt. 14.

ἦ, ἦ, σίγα, σίγα,  
 ἔσηκεν ἰδίῃ δεσπότῃς θυρῶν ἔσω,  
 ὄντως μεγίστη θύματα τοῦ δὲ ἄξιον:  
 πῶς, πῶς πάρεσι τῶν θυρῶν κεκλιθευμένων  
 τάχ' ὡς ἀνέστη καὶ τάφῳ κεκλιθευμένῳ,  
 καὶ πρὶν προῆλθον ἐκ πλῶν τῆς παρεύνης,  
 ἄλυθα τῶν κλειθρῶν μηθρὸς παναγίας.

D 3 Ratio-



Rationi hæc quidem nostra non minùs videntur à dōvā, quàm absurda: sed concedamus, posse aliquid Deum, quod  
” fateamur à nobis investigari nō posse. In huiusmodi cer-  
” tē operibus tota facti ratio est facientis potentia. Ita q̄, si  
” authorem consideremus, dubitationem tollemus. Sanè  
August. Ep. 3. ad Volufianum. statuimus firmiter; hanc glorificationem non abstulisse  
corpori veritatem; nihilo tamen minùs, ne fidē tantæ Res  
destruamus, omnia hæc miranda in corpore Servatoris  
nostri evenisse, haudquaquam ambigimus: Modū non  
comprehendimus, rationem nō inquirimus: par exemplū  
non novimus: alioqui mirabile hoc & singulare non  
esset. Vbi autem deficit ratio, ibi est fidei edificatio. Ac-  
cedit præterea aliud, quod admirationem incurrit. Non  
enim tum solus Christus à morte rediit: sed cum ipso eo-  
dem temporis momento plurima sanctissimorum homi-  
num corpora, qui dormierant, è tumulis prodierunt, &  
Matt. 27. multis insuper in Vrbe Sanctā apparuerunt. Elisæi of-  
2. Reg. 13. sium cōtactu quendam fato extinctum revixisse legim⁹:  
at hīc Christi virtute complures in vitam revocantur.  
Hi fuerunt haud dubiè primi Patres, Propheta, Reges,  
Iusti: & in his etiam prim⁹ & vus ille omnium Genitor  
ADAMVS. Antiquorum enim relatione traditur,  
Adamum eo in loco, quo crux Christi defixa erat, fuisse  
tumulatum, eamq̄, ob causam Calvaria locum esse nomi-  
natum,



natum, quia caput humani generis ibi depositum quiesce-  
ret. Neque verò hoc incògruè creditur, quia ibi erectus sit  
Medicus, ubi antè jacebat ager. Et vitam, quam Adamus  
in arbore viridi scientiæ Boni & Mali amisit, Iesus in  
arbore crucis aridam recuperavit. Majus me christe hinc  
subest gaudium, quam luctus! Granum illud tritici nobilis-  
simum, quod exaruit in supplicio, fructum attulit multum  
in Resuscitatione: solus quidem est passus durissima quæque,  
ab omnibus desertus: at verò solus à Morte non resurre-  
xit. Quorum enim sepulcra in ejus morte patuerunt, eorum  
corpora Domino resurgente de pulvere sunt excitata. tanta  
Resurrectionis Dominicæ virtus! Sed & hoc sine stupore  
non prætereamus, quod custodes conspectu Angeli, ac inso-  
lito terræ motu propè exanimati conciderunt, itaque vel in-  
viti Regis sui crucifixi virtutem senserunt. Cui verò mi-  
rum non videatur, Milites alioqui impavidos, & feroces,  
addo etiã armatos, tanto percelli pavore, ut ubi locorum  
sint, obliviscantur, torpeant, obmutescant? Incesserat  
quidem & mulieres timor; verum ille ex tantæ rei admi-  
ratione ortus tandem in dulce solatium & incredibile gau-  
dium desit: at Maria ista capita tremor ille cum horrore  
conscientiæ conjunctus in sensum reprobum præcipitavit.  
Atque hæc præcipuè digna sunt admiratione; quæ et si rati-  
onis humanæ judicio incredibilia videntur; certis tamen  
& immotis divinorum oraculorum testimoniis ita habemus



confirmata, ut in Christianorum hominum censu habendus non sit, qui ea in dubium vocare non erubescat. Etenim in triplici ea consistunt differentiâ. Alia enim Antegressa habentur, alia conjuncta, alia consecuta. Antegressa dicimus partim vaticinationes, partim figuras, siue typos, in libris Moysis, Prophetarum, Psalmorum. eò enim ipse Dominus nobis digitum intendit.

Luc. 24. Ex illis prima est, quam Deus ipse edidit: Semen mulieris conteret caput serpentis. In semine Abraham benedicenda sunt omnes gentes. Certè Satanam vincere audaciâ furentem, & sublatâ maledictione omnibus benedicere, opera sunt non victi & demortui; sed victoris & viventis. Messias abscindetur de terrâ viventium, & tamen videbit semen longævum, inquit Isaias. Messias excidetur, & tamen potestas ejus æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus non corrumpetur. Ipse Rex à Patre constitutus est; cujus regnum, regnum est omnium seculorum. Dominabitur ille, canit Psalter, in medio hostium suorum: erit Sacerdos in æternum, exaltabit caput. Vivificabit nos post biduum (ait Oseas) tertiâ die suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus. Quod oraculum et si me non fugit de totâ Ecclesiâ loqui: principaliter tamē de Christo intelligi volunt eruditi. Nunquam enim futura fuisset resurrectio in membris, nisi in capite

preces-

Luc. 24.

Gen. 3.

Gen. 22.

Esa. 53.

Daniel. 9.

Psal. 2.

Psal. 145.

Psal. 110.

Ose. 6.



praecessisset. Typos deinde resurgentis Domini habemus  
 plurimos, ipsumque adeo protoplastam Adamum. Nam  
 ut ille è sopore excitatus sumtam de suo latere Hevam Gen. 2.  
 agnovit: ita Christus morte excitatus ex lateris sui vul-  
 nere edificavit Ecclesiam. ISAAC Abrahæ Filius Gen. 22.  
 rogo jam impositus, liberatur ab angelo: Christus in cruce  
 quidem oblatu est; at postea morti exemptus. JOSE-  
 PHVS in carcerem coniectus, & postmodum inde edu-  
 ctus ad summi honoris fastigium ascendit, totamque suam  
 familiam in dignitate collocavit. Simson Asini maxil- Iudic. 15.  
 lá mille Palaestinos prosternit: Christus hostes suos oris Esa. 11.  
 sui spiritus penitus conficit. Simson obseratis portis in ur- 2. Thef. 2.  
 be clauditur: Christus ob signato tumulto. Simson seris ef-  
 fractis, portarumque vectibus loco dimotis securus eva-  
 dit: Christus everfis Inferorum portis, ruptisque pote-  
 statibus lauream triumphalem consequitur. Simson Iudic. 16.  
 moriens plures trucidat, quam vivus: sic quidam, judi- Tract. 31.  
 ce Augustino, magis mirati sunt potentiam Christi mo- in Ioan.  
 rientis & resurgentis, quam virtutem miracula facien-  
 tis. Leo à Simsone discerptus legitur, ex cuius cadavere  
 examen apum & favus mellis prodiit: Christus Leo est Apoca. 5.  
 de tribu Iuda, ex quo mel Evangelii emanat, saluberrimum  
 sempiternæ vitæ alimentum. Silentio hinc prætereo  
 Gedeonem, quem solo tubarum clangore, & lucis fulgo- Iud. 6.  
 re Mi- Esa. 9.

E

re Mi-



re Midianitas ad capeffendam fugam impuliffe conftat.  
 Iud. 3. Taceo Samgar, qui 600. Palaftinos baculo fubegit pa-  
 ftorali. nihil commemorabo de Jona triduum in ventre  
 Matt. 12. informis Balææ detento, quem Chriftus ipfe ad fe ac-  
 commodat: nihil addam de Davide Adolescente Gigan-  
 1. Sam. 17. tem horrendæ magnitudinis interficiente: nihil de ipfo  
 Domino, qui & prævidit, quid eventurum fibi effet, &  
 prædixit multifariam; veluti cum templum deſtruere  
 juſſit, illudq; intra triduum ſe ruruſus extruendum pro-  
 Iohan. 2. miſit; ubi de templo corporis ſui, in quo tota plenitudo Di-  
 Colof. 2. vinitatis habitat, omnium ſanorum hominum iudicio  
 locutus creditur. Ad teſtimonia conjuncta ſe conver-  
 tit oratio. Primos triumphi ſui præcones & Nuncios  
 Chriftus conſtituit Angelos. In toto enim opere Redem-  
 tionis generis humani placuit DEO horum Spirituum  
 puriſſimorum Ministerio uti, in conceptione, in Nati-  
 vitate, in omnibus periculis & caſibus, in ſolitudine, in lu-  
 ctâ cum morte; in ipſâ denique ad cælos aſcenſione, un-  
 de & illum ad extremum iudicium rediturum comita-  
 buntur. Apparent autem in hoc Triumpho, veſtimentis  
 albicantibus & ſplendidis, non quidem abs re: ſed ut ſu-  
 am teſtentur dignitatem; quòd, et ſi humanam faciẽ non-  
 nunquam præferant, non tamen communem habeant cū  
 Mortalibus conditionem; ſed præpotentis DEI ſunt Le-  
 gati,



gati, ex regione omnium lucidissimá emissi. Deinde ut  
singularis letitiæ dent signum: sicut enim atra sive pul-  
la vestis luctus; sic candida index gaudii censetur. Præ-  
tereá ut declarent innocentiam cum suam, tum nostram,  
morte nimirum Christi acquisitam, ac nová ejus vitá  
sancitam. Colorem enim album etiam Gentiles usurpát  
pro symbolo Innocentiæ. Vnde Romæ Competitores, qui  
Magistratum, aliudve munus publicum petebant, can-  
didis vestibus amicti in forum prodibant; atq; ex eo dicti  
sunt Candidati. VVedekindus Rex Saxonum, post dif-  
ficile ac diuturnum bellum, tandem à Carolo Magno,  
primo è Germanis Imperatore, sub annum Christi 785.  
prælio victus, Christo nomen dedit, acceptoq; sacrosancto  
pignore Baptismi, atrum equi colorem, quem in suis In-  
signibus gestabat in candidum mutavit, ut omnibus pa-  
lám faceret, è tenebris se in lucem, Christo Duce, & au-  
spice Christo, eluctatum. Angelos sequuntur Milites,  
permissu Pilati ad sepulcrum custodiendum mercede cõ-  
ducti: hi nolentes volentes testimonium veritati per-  
hibent, atq; ultrò divinæ gloriæ propagãda inserviunt.  
Quanquam enim Primorum corrupti pecuniá, rem  
gestam putidis commentis obvelare conantur; insi-  
gniter tamen mentiendo dant se turpissimè, adeò ut  
pro Christo contra se ipsos acta, visa, audita contestentur.



Neque enim rationi est consentaneum, quod vociferantur illi, & in vulgus ubique spargunt, somno se oppressis Christi corpus ab Apostolis furtim esse sublatum. Quis enim credat, trepidum, imbellem, & exiguum paucissimorum hominum gregem tale facinus adversus Milites non tam scutis telisque, quam petulante audacia armatos attentare ausum fuisse? Quod si dormierunt belli illi bellatores, unde plagium divinarunt? Sin verò vigilarunt, cur non Discipulos aditu Monumenti prohibuerunt? cur non ipsos è vestigio sunt insequuti? cur strepitum non moverunt, clamorem non excitarunt? Mirum profectò videri non immeritò posset, tam inani frivoloque mendacio quenquam Iudeorum fidem habuisse, nisi justo DEI iudicio Messia contemptores occatos fuisse certò haberemus cognitum. Omitto hinc brevitatis studio ipsius Domini nulli non nota testimonia, quòd toties Suis se redivivum ostendit, ac conspiciendum undique contrectandumque exhibuit, & quòd praesertim Mulieribus sui videndi copiam facere voluit, non opinor temerè, sed ut per feminam vita nuncium afferretur, lateque divulgaretur, quemadmodum per feminam Mors in mundum illata fuerat. Mentiuntur igitur & insaniunt canes, qui hunc sexum ab hereditate regni caelestis excludunt, quem Dominus ipse tanto digna-



gnatus honore est. Jam quid consecutis testimoniis im-  
morer? Manifesta est omnibus illa visibilis effusio &  
stupenda missio Spiritus Sancti. Divus Stephanus Ie- Actor. 2.  
sum in gloriam assumptum, stantem vidit à dextrá DEI, Actor. 7.  
incredibili lætitiá: vidit Paulus in tertium raptus cœ- 2. Cor. 12.  
lum: eidem supervénit Dominus noctu. Quid dicam Actor. 23.  
amplius? testatur hoc de Redivivo universa Apostolo-  
rum doctrina: testantur miracula Christi nomine &  
virtute ab ipsis edita: testantur celebratissima marty-  
ria: testatur communis Orthodoxæ Ecclesiæ per univer-  
sum terrarum orbem fides, & confessio: testatur veræ  
consolationis & solidæ lætitiæ sensus, quem pii ex Christi  
victoriá percipiunt: testatur gubernatio, & mirabilis  
defensio Ecclesiæ in tantis Diaboli ejusq; organorum fu-  
roribus: testatur hostium pœna, qui Christum iniquissi-  
mo Mortis iudicio damnatum sceleratis manibus occi-  
derunt: Pilati vitæ exitus horribilis: Herodis miserabi-  
le exilium: Hanna & Caipha omnibus dignitatibus  
exutorum infamia, & æterna condemnatio: Hieroso-  
lymorum 40. post annis *παραλεθεία*, ac supremum exci-  
dium: Iudeorum deniq; ex eo tempore hucusq; asperrima  
conditio. Quid? quòd fama de Christo redivivo to-  
tum penè orbem tùm pervagata, ipsum etiam Romanum  
Imperatorem (istùm fuit Tiberius) latere non potuit;



adeò ut Christum, postquam à Pilato illum falsò mortis crimine damnatum cognovit, inter Divos referri à Senatu Romano petierit; ejusq; imaginem paullo post Alexander Severus in Larario asservârit, & ad eam matutinis horis rem divinam factitârit. *Avem* in naturâ miramur, tanquam pulcerrimam Resurrectionis Christi Imaginem, Assyriis Phœnicem dictam, quæ seipsam reparat, & (ut Nasonis verbo utar) reseminat; de quâ elegantes *Vida* versus in hujus ipsius Miraculi descriptione extant:

Lampri-  
dius.

Plin. lib.  
10. cap. 2.

Vida.

Talis, ubi turpe irrepfit senium, unicus Ales  
Congessitq; sibi ramis felicibus altum  
Summo in colle rogam, posuitq; in morte senectam:  
Continuò novus exoritur, nitidusq; juventâ  
Effulget cristis, & versicoloribus alis.  
Innumerae circum volucres mirantur euntem.  
Ille suos adit Aethiopas, Indosq; revisit.

Cornel.  
Tac. lib. 5

Hanc *Avem* in Ægypto sub id tempus, quo Christus in mortuis esse desiit, visam fuisse fertur; quod prodigii loco spectatores acceperunt. Hæc tot tantaque testimonia intimis animorum thalamis insigenda sunt, ut fides in nobis magis magisque corroboretur, cum non simus nescii, ipsos etiam Apostolos primum nuncium à sceminis allatum pro deliramento habuisse: præcipue ut animos aduersus impios furores præmuniamus atque obfirmemus; quales videlicet sunt Cherinthianorum, qui  
Christi



Christi Resurrectionem malitiosè oppugnarunt: Judaeorum, qui obstinato in Messiam odio furentes Evangelium de spectui habent: Mahometistarum, qui, et si in Alcorano suo (horresco ad nomen) Christum excellentem prophetam, missum à DEO, mirabilium omnium effectorem speciosè fatentur; tamen eum cruci affixum, & morti ereptum impudenter pernegant. Hi & horum catharmata similia, execranda Satanæ mancipia, quid obsecro spei, quid solatii è Iesu nostri meritis hauriant, cum finem eorum sceleratè inficientur? At nos, qui omnem fiduciam in his fixam collocatamque habemus, maximos inde uberrimosque fructus cum in hac, tum in altera vitâ percipimus. Eos ( ut duobus verbis comprehendamus innumeros ) **ABLATIONEM MALI** dicimus, & **RESTITUTIONEM BONI**. Hoc utrumque Daniel propheta suis est complexus oraculis; & Andreas Apostolus in concione, quâ Proconsulem Achaiae instituisse scribitur, cujus summam Nazianzenus his ferè versibus expressit: cap. 9.  
P. Galat.  
lib. 6.

τὸν μὲν ἀναπλάσσω, βροτέω θεὸς ἐς φύσιν ἦλθεν,  
ὥσκειν ἀεθλεύσεις τε καὶ ἐκ θανάτου φονήα  
νικῆσεις, γυμνίαν τε χολῆ καὶ χεῖρας ἀδέσμοις  
ἠλοῖσι, στερεῶ τε φύτον καὶ ὑψέει γαῖαν  
πρὸς ζωὴν παλινοροσεν Ἀδάμ, ἢ κῦδ' ἀνάξει.

Illa Ablatio Mali ( græcis ἀναίρεσις, ἢ ἀφαίρεσις κακῶν ) triplex malum continet; quorum primū peccatū & Mors,



Vtrumque hoc tantum onus mali à cervicibus nostris  
 Esa 53. Σωτῆρ noster depulit. Hinc illud Esaiæ: verè languores no-  
 stros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: Et Da-  
 Dan. 9. nielis; Finietur prævaricatio, consumetur peccatum,  
 Mich. 7. expiabitur iniquitas: Et Micheæ: projecit peccatum  
 1. Cor. 15. in profundum maris. Abolevit mortem, hostem no-  
 1. Pet. 3. strum ultimum, & deglutivit, & detracto aculeo, qui  
 est peccatum, penitus exarmavit; quod quidem ipse mul-  
 Osee 13. tò ante promiserat, inquiens: A morte redimam eos:  
 ubi tua, ô Mors, victoria? Fucundum Christi & Sa-  
 lomes colloquium in Evangelio Ægyptiorum extare, re-  
 fert Clemens Alexandrinus: ubi Christus à Salome  
 lib 3. τρω- interrogatus, quando regnum DEI suum habiturum  
 μάτων. sit initium, respondisse traditur: Cùm cessabit opus  
 Mulieris, & addidisse: ἐγὼ ἦλθον καταλύσαι τὰ ἔργα τῆς θηλείας:  
 Ego veni, ut dissolvam opera foemellæ. at verò ope-  
 ra foemellæ non hîc generationem intelligit, quæ DEI o-  
 pus est in conjugio: sed peccatum & Mortem, quæ sunt  
 in vitâ hominum. Heu & opera, serpentis a stu nefariè cir-  
 cumventa. Alterum malum est diabolus: verè Malus,  
 ὁ πονηρὸς, fons, fax, tuba malorum omnium: ab initio enim  
 1. Ioh. 3. deliquit, totumque mundum in fraudem & perdi-  
 ciam adduxit. Hunc fortem armatumque, qui atrium  
 Apoc. 12. suum vehementer custodiebat, Heros multò validior  
 Lucæ 11. invasit,



invasit, vicit, debellavit; omnemque ei armaturam, in  
 qua superbe confidebat, penitus abstulit, spolia detraxit,  
 iisque res humanas auxit. Atque sic quidem non ope-  
 ra tantum Diaboli, peccatum nempe & mortem, sed  
 ipsum etiam istorum primum parentem & authorem  
 perdidit funditus, magnificeque subegit. Hoc ipsum est,  
 quod Iehovab de semine Mulieris (mirum!) caput ser-  
 pentis contrituro, statim in Paradiso promiserat, respi-  
 ciens haud dubie ad serpentum naturam, quos Physici  
 docent in dimicatione caput potissimum defendere, quo  
 incolumiter aliquum corpus, in plures etiam partes minu-  
 tim dissectum, succo herbae, quam serpentariam vocant,  
 facile conglutinari possit. Ita vero Dux & Author Chri-  
 stianorum Draconis illius magni, serpentis illius anti- Apoc. 12.  
 qui, cui nomen Satanae, non modo venenatam caudam,  
 & impurum ventrem, sed caput callidum galeatumque  
 ferit, & comminuit, omneque ejus robur, omnes vires  
 ita contudit, ita infregit, ut eas nullis seculis colligere  
 queat. Sic Leo leonem neci dedit: Leo de tribu Juda,  
 stirps Davidis nobilissima, superavit Diabolum, quem  
 D. Petrus instar Leonis rugientis obambulare queritur, 1. Pet. 5.  
 questum quem devoret. Quis nostrum in hujus Leonis  
 fauces non incidisset, nisi Leo noster palmam ipsi prae-  
 puiisset? imò vero Agnus vicit Lupum. O nos beatos!

F

Terti-



*Tertium Malorum, quod à nobis Christus depulit, est.*  
Zach. 9. *Infernus, in eoque aeterna damnatio, ubi lacus & cister-*  
*na, in qua non est aqua. Et hoc pollicitus fuit multò an-*  
Ose. 13. *te Dominus, quum per Oseam dixit: E potestate Infero-*  
*rum redimam eos: ero morsus tuus, Inferne. Mar-*  
*cus Curtius (ut est apud Livium) Anno V. C. 393.*  
*certo se exitio pro salute Patriæ (ò rarum exemplum!)*  
*animo æquo paratoque devotum, spontè in specum, unde*  
*pestilens odor exhalabat, in foro Romano, cum equo præ-*  
*cipitavit, atque hoc facinore omnium civium favorem,*  
*& aeternam nominis memoriam sibi conciliavit. Semel*  
*tamen hiatus profunda voraginis absorptum, in vivorum*  
*numerum ab immortalis DEO receptum fuisse, nullis li-*  
*terarum monumentis scimus proditum. At noster Re-*  
*demtor, et si ad infima descendit tartara, Inferorum ta-*  
*men portas perripit, perque confertam turbam & mul-*  
*titudinem importunissimorum hostium, undiq; circum-*  
*stantium, & viarum angustias obsidentium, divinâ po-*  
*tentiâ penetravit, nobisq; clauso Inferno, qui antè ani-*  
Esa. 5. *mam suam horrendum in modum dilatarat, & os præter*  
*morem aperuerat, viam in cælum stravit; insultans in-*  
*super loco: ubi tuus, ô Inferne, stimulus? Hæc tria tan-*  
*ta mala primo hoc beneficio Is, qui solus est bonus, qui*  
*perfectè bonus, à genere nostro sustulit. Nunc quoniam*  
*pericu-*



periculosissimi belli, quod tam diu nobis sustinendum  
fuit, formidabiles Duces captos jam & comprehensos  
tenemus; existimare debemus, Auditores, omnes Ty-  
ranni infernalis copias, omnes Spes, atque molitiones  
his devictis hostibus concidisse. Ille erat unus ex omni-  
bus, qui omnia in potestate suam coagebat: nullius adi-  
tum non norat, sollicitare, blandiri, tentare poterat, au-  
debatque cominus eminens: nec facinori consilium, nec  
consilio vis aut successus deerat. Hanc pestem, hoc mon-  
strum tam virulentum, tam paratum, tam in scelere vi-  
gilans, tam in perditis rebus impigrum, tam vafrum;  
nisi ex publicis insidiis intra privati latrocinii terminos  
JESUS noster compulisset, ac constrinxisset; fatebimur,  
quod res est, nemo Mortalium unquam tam potentem &  
audacem hostem oppressisset. At vero (Christo sit gra-  
tia) jacet ille unus prostratus, & se perculsum, atque  
abjectum esse sentit, & torquet oculos saepe ad genus hu-  
manum, quod ex suis faucibus ereptum esse luget.  
Haud ille abiit, etsi robustissimus, & versutissimus,  
haud excessit, haud evasit, haud erupit. Nulla  
jam pernicies piis ab hoc Scelere intra moenia  
S I O N I S comparari potest. Hanc rem tan-  
tam VNI acceptam referre debemus VICTO-  
RI, ET SERVATORI nostro, cujus  
F 2 sum-



summam fidem, & inexhaustum amorem nullá cogita-  
 tione assequi possumus. Neq; enim ipsi satis fuit, tria  
 hæc Mala maxima à nobis propulsare, nisi tria Bona  
 maxima substitueret. Hæc est, quam dixi, **RESTI-  
 TUTIO**, græcis  $\theta\epsilon\omicron\varsigma\ \alpha\gamma\alpha\theta\omega\nu$ ,  $\eta\ \epsilon\upsilon\epsilon\gamma\epsilon\tau\eta\mu\acute{\alpha}\tau\omega\nu$ . Ex his prin-  
 cipem locum Iustitia obtinet, non ea tantum, quam mor-  
 te acquisitam, & Mortis victoriá plenè ratam sancti-  
 tamque nobis ille applicat, & quá per fidem apprehensá,  
 Rom. 4. *justi reputamur apud DEVM; verum etiam inchoa-*  
 Ioan. 16. *tá, quam nobis dato Spiritu Sancto confert, ita quidem,*  
 Rom. 6. *ut cum ipso resurgentes in novitate vitæ ambulemus; quæ*  
 prima est nostra Resurrectio. Vnde alterum postea resul-  
 Rom. 5. *tat Bonum, quo nihil suavius excogitari potest, nimirum*  
 pax, letitia, & tranquillitas conscientia, quam Suis ipse  
 Ioan. 14. *Dominus promisit, ac resuscitatus humanissime preca-*  
 Luc. 24. *tus est aliquoties. Huic Bono succedit summum & ulti-*  
 Ioan. 20. *imum: nostræ nimirum carnis Resurrectio, & æterna il-*  
 la vita, ad quam ab Authore rerum sapientissimo dire-  
 cta sunt omnia. Hujus fundamentum, & causa est, &  
 pignus, ipsissima Christi Resurrectio. Vnde optimo ju-  
 re cum Paulo ratiocinamur: si Christus revixit, & nos  
 reviviscemus: ac vicissim: si nobis resurgendum non  
 est; ne quidem ipse Christus resurrexit: At resurrexit  
 ille: vult igitur & nos ad se redire, & Bonis illis perfrui,  
 quæ



quæ preciosissimo sanguine suo nobis comparavit. Nec  
dubitationem de potentiâ ipsius hac in re admittamus:  
quando per Ipsum condita sunt omnia. Quòd si ex eo, Iohan. 1.  
quod nihil erat, aliquid condere potuit; quid nî hominem  
suscitare ex pulvere atq; cineribus, & ad pristinâ parti-  
um symmetriam revocare valeret? Eiusdem quidem  
virtutis est creare, & recreare; facere, & reficere: ve-  
runtamē rationis iudicio multò videtur facilius, aliquid  
ex aliquo, quàm aliquid conficere ex nihilo. Quin tanta  
ejus est potentia, ut se ipsum suâ virtute suscitavit, susci-  
tarit & alios, atq; ita Mortis se Dominum, & Autho-  
rem vitæ, imò vitam ipsam esse, satis superq; demonstra-  
rit. De voluntate ipsius, quis potest esse tam aversus à  
vero, tam mente captus, ut dubitet, cum ipse aliam nobis  
vitam tam liberaliter sit pollicitus, ipse inquam Rex &  
Sacerdos regni æterni, & regalis Sacerdotii? 1. Petr. 2.  
Pulcrè Tertullianus: Resurget (inquit) caro, & quidem omnis,  
& quidem ipsa, & quidem integra. in deposito est ubi-  
cunq; apud DEVM, per fidelissimum sequestrum DEI  
& hominum, IESVM Christum, qui & homini  
DEVM, & hominem DEO reddet, carni spiritum,  
& spiritui carnem. Vtrumque jam in semetipso confœ-  
deravit, sponsam sponso, & sponsum sponsæ comparavit.  
Nam etsi animam quis contenderet sponsam; vel dotis



nomine sequetur animam Caro. Ille est vitis, nos pal-  
 Ioan. 15. mites: Ille est caput, Ecclesia corpus & complementum  
 Coloss. 1. eius: Ille os ex ossibus nostris, caro de carne nostra, ut  
 Ephes. 1. qui factus nobis  $\sigma\upsilon\gamma\gamma\epsilon\nu\eta\varsigma$  per incarnationem, & cui nos  
 Rom. 6. inserit semel per Baptismum, cui jungimur quotidie sa-  
 Gal. 3. cratissima  $\sigma\upsilon\nu\acute{\alpha}\xi\epsilon\theta$  usu, atque ita jungimur, ut ipse ma-  
 Ioan. 6. neat in nobis, & nos in ipso. Ille massam nostram, ut  
 Hieronymus predicat, jam in caelum subvexit: & Bern-  
 hardus: Nostrum, ait, cuiusque resurrectio jam in capi-  
 te facta est: caput autem sine membris non invenitur in  
 regno. Hanc ergo gloriam spem melioris vitae optimo ju-  
 Ioan. 12. refovemus, atque fulcimus. Ille est Dominus, nos Mi-  
 Heb. 13. nistri: Ille magnus est ovium Pastor, quem DEVS  
 Ioan. 10. pacis à mortuis reduxit: itaque nos oviculas suas aeternae  
 morti succumbere haudquaquam permittet. Ille, ut  
 primogenitus est omnis rei creatae, ita idem principium  
 est ex mortuis, ut inter omnes primas teneat. Plures  
 quidem ante Christi resurrectionem ex fato functis  
 vitam redonatos sacra Historia recenset, ut Heliam  
 1. Reg. 17. Sareptanae, Heliseum Sunamitidis Filium: ipse adeo  
 2. Reg. 4. Dominus Iairi Archisynagogi Filiolam, viduae in  
 Matth. 9. in oppido Nain Filium, & Lazarum jam inter ex-  
 Luc. 7. tinctos quatrduanum vitae restituit: verum enim verò  
 Ioan. 11. omnes



omnes hi ad tempus saltem spiritum hauserunt, postea  
natura denuò concesserunt. Solus Christus primus est  
exiis, qui sic sese è compedibus mortis expediit, ut jam Rom. 6.  
amplius infinitis seculis exitum vitæ non faciat; imò a-  
lios omnes ad vitam vi suâ excitet, ac denique in vi-  
vos pariter atque mortuos imperium agit. Rom. 14. Hac  
ergò fiducia spiramus, etatemque traducimus totam,  
ac subinde spe meliore sustentamur. fiducia namque  
Christianorum, est resurrectio mortuorum: Et ta-  
men nullâ aliâ in re Christiana fidei sic contradicitur. August.  
in Psal.  
88.  
Quamobrem, quò minus fides nostra hesitaret, sapi-  
entissimo consilio visum est DEO, ipsi etiam rerum  
natura vestigia quadam imprimere, nostræque resur-  
rectionis certitudinem per expressas imagines πρὸς ὑμῶν  
τῶν ποικίλων. Quæ enim cunquæ in hoc amplissimo mun-  
di theatros conspiciuntur, multitudine innumerabi-  
les, specie pulcerrimæ, eæ omnes, præterquam ad certos  
usus humanos sunt destinata, nos de divinis etiam atque  
etiam commonefaciunt. Rectè igitur ab Epiphanio  
dictum: *Uniuersa creatura singulis diebus Resurrecti-  
onis speciem ostendit: Et à Tertulliano: Totus hic ordo  
rerum revolubilis, testatio est resurrectionis mortuorum. Cæ-  
lû aspiciamus: stellas quotidie oriri Et occidere videmus:*  
modò



modò in conspectum nostrum prodire; modò quasi evanes-  
cere. Magnus ille Mundi oculus nunc aperiri, nunc  
claudi videtur. Luna modò crescit, modò deficit, vari-  
asque mutationum vices patitur. Dies, ut eleganter lo-  
quitur Tertullianus, in noctem moritur, & usque quaerq;  
tenebris sepelitur. Funestatur mundi honor: omnis sub-  
stantia denigratur; sordent, silent, stupent cuncta: ubiq;  
Fustitium est, quies rerum, ita lux amissa lugetur: &  
tamen eadem rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole in-  
tegra & tota universo orbi reviviscit, interficiens mor-  
tem suam noctem, rescindens sepulturam suam tenebras;  
haeres sibi met existens. Oculos deinde ad bruta conver-  
tamus. Aviculae, vermes, varia id genus animalcula,  
quae hyberni frigoris & vitia quasi enecta jacent, solis ca-  
lore velut regenerata animam recipiunt. Sic Musca,  
& reliqua insecta: sic lumbrici, sic hirundines, quae cum  
hyeme pulsae recedunt, vere incunte latissima advolant.  
A pes emortua sonitu atque vociferatione excitantur.  
Ex putrida materiae omnis generis bestiolae producuntur,  
ranae, mures: quid haec omnia ad hominem collata? quan-  
tò nos illis praestamus? Et dubitamus adhuc, quod in illis  
quottidiè contingere videmus, id in nobis fieri posse, aut  
Psalm. 103 futurum esse? Aquilam proponit Psalter regius. Quid  
de stirpibus, & rebus omnibus terrae nascentibus dicam?  
Ex nu-



ex nucleis assurgunt arbores: ex granis frumentorum  
 fruges: seritur solummodò granum sine folliculi veste,  
 sine fundamento spicae, sine munimento arista, sine su-  
 perbiá culmi. exurgit autem copia foeneratum, compa-  
 gine edificatum, ordine structum, cultu munitum, &  
 usquequaq; vestitum. Semina adeò nulla nisi corrupta  
 & dissoluta fecundius surgunt, ita disserit Tertullianus.  
 Iam qui grana seminum mortua & putrefacta vivifi- August.  
 cat, per quæ in hoc seculo vivas, multò magis te ipsum re- de verb.  
 suscitabit, ut in æternum vivas? Quid de virgá Aara- Apost.  
 nis loquar, quæ cum esset arida, refluoruit subitò, & dul- ser. 34.  
 ces amygdalas protulit? At quorsum hæc omnia? cur non Num. 17.  
 potiùs in nosmetipsos descendimus? dormimus & ex-  
 pergiscimur; denascimur & renascimur. Equidem non  
 parvam somno cum morte esse cognationem, ipsi etiam  
 veteres in divi sunt confessi. hinc soporem lethi consan-  
 guineum Virgilius, & somnum gelidæ Mortis imagi-  
 nem dixit Ovidius. Et Gorgias Leontinus morti jam Stob. ser.  
 vicinus, ut valeret? interrogatus, scitè respondit: So- 119.  
 mnus incipit me Fratri suo tradere. Idcirco & sacra li-  
 tera, non tam ex lingua sanctæ proprietate, quàm rei ve-  
 ritate, mortem piorum dulcissimâ metaphorâ somnum Matth. 9.  
 nuncupant: neq; nos ineptè loca sepulturæ, κοιμητήρια (dor- Iohan. II.  
 mitoria) appellamus. Quid? quod Dominus DEVS  
 G sape-



ſæpenumerò nos in hac etiam vitâ é præſentiſſimo Mor-  
tis periculo eripit, ut exempla innumera fidem faciunt.  
Spem ergò certam indubitatamq̃ novæ vitæ firmiter  
obtinemus; Et hac ſpe pleni inſracto animo præſentis  
vitæ labores, ærumnas, iniurias, pericula toleremus,  
maſculeq̃; ſuſtineamus. Hæc verò teſtimonia partim  
è cœleſti philoſophiâ, partim ex libro Naturæ depromta  
profaniſſimis doctrinæ hujus Irriforibus, tanquam ſcu-  
tum adamantinum, erecto magnoq̃; animo oppona-  
mus, ut Athenienſibus, Et Epicuri Aſſeclis, quorum  
placitum Lucretius delineat, ubi ait:

Afor. 17.  
lib. 2.

— neq; quiſquam expergitus extat,  
Frigida quem ſemel eſt vitæ pauſſa ſequuta.

Tum verò omnibus propè ad unum Mundi ſapi-  
entibus ( quos vocat ſancta lingua ) qui licet animam  
à corruptione immunem, Et Spiritum eſſe immor-  
talem, haud negarunt; animam tamen aliquando  
in corpus redituram, ut fidem adjungerent, perſua-  
deri ne utiquam potuerunt. Nam quod Plato in 10.  
Polit. de Milite quodam meminit Pamphylis Ero,  
Armeni Filio, qui duodecimo à clade die redi-vivus  
prodierit, Et quod Plutarchus de Enarcho quodam,  
qui pro Nicanda Sutore mortuus revixerit; Et quæ  
plura huiusmodi redi-vivorum exempla percenſet  
Plinius,

Lib. 17.  
c. 52.



Plinius; ea tantum abest ut illi vera crediderint, ut etiam falso risu omnia sint prosequuti. Quanquam dubitari vix potest, cæcutiens illud genus hominum, de corporum Resurrectione nonnihil à Majoribus accepisse, cui tamen rei nec ipsi unquam fidem adhibuerunt, nec aliis, ut fidem adhiberent, in animum inducere vel potuerunt, vel voluerunt. Reperti olim sunt Act. 23. in Iudæis Sadducæi, qui Resurrectionem illam non solum pernegarunt, sed insuper nullos vel Angelos vel Spiritus esse, impiè contenderunt. Inter Christianos quidem, (quod veriùs eloquimur, quàm honestiùs) Apostolorum temporibus jam tum horrendo hoc delirio fascinati fuerunt Hymeneus & Philetus, Simon Ma- 2. Tim. 2. gus, à quo Simoniani, nec non fex atque colluvies aliorum hereticorum, quos omnes

————— Longa referre mora est.

Sed (quod turpissimum) etiamnum, hodiè inquam, in gremio Ecclesiæ Matris <sup>ἐκ τῶν αἰώνων</sup> tumultuatur, de quibus 2. Pet. 3. benè toties nominatus Tertullianus: nemo tam carnaliter vivit, quàm qui negant resurrectionē: negātes enim pœnā, despiciunt & disciplinam. Hos ἀλάστορας, quotquot sunt, sp̄e illā futuræ vitæ eripere nobis minimè patiamur: sed animo certo ad metā fidentissimè contēdamus. Quod quidē haud erit difficile, si malis omnibus consolationes



ex fructibus gloriosissimi triumphi hujus opponemus, ac presentis temporis solennitatē non tantum jam, sed per omnē vitæ cursum colemus. Hoc enim Pascha nostrū audimus esse trāsitum ē tenebris in lucem, ē fædo carcere in amœnissimum hortum, ē morte in vitam, quoniam Christus Iesus per infamem mortem, in gloriosam transit vitam, vitam summam & sempiternam: ac nobis hoc transitu ad cœleste domicilium fecit aditum, portam quæ triumphalem latissimè aperuit. Cujus quidem Paschatos typus quidem fuit illa Iudaorum solennitas, quæ & ipsa pasah sive Phase dicta fuit; & vel à memorabili illo Iehovæ transitu, per mediam Ægyptum omne primogenitum ab homine usq; ad pecus interimentis nomen hoc invenit; vel etiam à miraculosâ Israëlitarum, per mare rubrum transitione, de quâ illud Poëta, paucis mutatis, haud ineptè canemus:

Virg. 4.  
Georg.

—— Simul alta jubet discedere latè  
Aequora, quæ populus gressus inferret, & illum  
Curvata in montis faciem circumstetit unda.  
Hos Israëlitæ prius, quàm durissima servitutis domo e-  
ducerentur, jussos fuisse agnum Paschalem certo quodam  
ac solenni ritu celebrare, ut pignus, ut *πυνημόσιον*, ut si-  
gnum, ex historiâ sacrâ accepimus. Ut pignus; futuræ  
videlicet liberationis: ut *πυνημόσιον*, stupendi nempe illius  
operis: quòd per vastum Arabici maris sinum pede sicco  
transf.



transeuntes sevas tyranni cruentasq; manus evasissent:  
ut signum, confirmans nimirum animos Fidelium, de  
amplissimá optatissimaq; Messia&promissione. Ad e-  
undem modum nos etiam vult DEVS nostri Servato-  
ris, Agni illius cœlestis beneficia, anniversariá memo-  
riá, imò quottidianá recolere: quo in studio Christus ex-  
emplo nobis ipse suo præt: dum quòd Patri aeterno san- Psal. 22.  
ctissime vovit, resuscitatus ex morte fide optimá inte- Ioan. 20.  
gerrimè præstitit. Illis Agnus, qui maclaretur, non pro- 1. Cor. 5.  
miscuè accipiendus, sed accuratè erat eligendus: Et Chri-  
stus noster antè, quam Vniuersi fundamenta fuissent po- 1. Pet. 1.  
sita, præscitus fuit, definitoque tandem consilio ad infam- Act. 2.  
me supplicium traditus. Agnus ille requirebatur perfe-  
ctus, Et ab omni labe purus: Christo nihil inculpatus, 1. Pet. 1.  
nihil incontaminatus: nullus unquam in huius ore de-  
prehensus dolus: servus ille DEI justus, teste Petro A- Esa. 53.  
postolo; atq; ita justus, ut nemo siue Superum, siue Infe- 1. Pet. 2.  
rorum de ullo crimine convincere illum potuerit; seu (quod Iohan. 8.  
græci dicunt exactius, ) ἁγνός. Agnus Judæis decimo  
primi Mensis die à grege separandus erat, Et ad deci-  
mum usq; quartum eiusdem mensis sub vespèram asser-  
vandus: Iesus noster ultimis temporibus patefactus, quã- 1. Pet. 1.  
quam ab origine mundi occisus, Hierosolymorum ur- Apoc. 5  
bem, a sello vectus, die (quam vocant) Palmarum, regiá



pompá ingressus est, atq; ita à reliquá segregatus homi-  
 num turbá, & in domum introductus, ut quarto decimo  
 die jugulum rabiosis carnificibus præberet. Ebraei san-  
 guinem Agni vase excipiebant, in eoque Hyssopi fasci-  
 culum intingebant, quo postes ambos, & superlimina-  
 ria adiuam aspergerent, ut præteriret Percussor: Iesu  
 Christi preciosissimosanguine Domus DEI, quæ est Ec-  
 clesia, fundatur purgaturque; ipsa adeo piorum omnium  
 pectora eluuntur, ut sint templa Spiritus Sancti, in qui-  
 1. Cor. 6. bus sedem omnium motuum actionumque sibi figat; idq;  
 à crudelissimi homicide, & Latronis Satanae insidiis &  
 machinationibus prorsus tutum. Noctu in sequenti, qui  
 ex Apellis in domo erant, agnum singulari quadam festi-  
 natione absumebant, lumbis accincti, baculum manu te-  
 nentes, non aliter atq; iam iter ingressuri viatores: nos,  
 qui in domo Domini vitã degimus, lumbos veritate ac-  
 cingere par est, pedes verò ad obeundas quasvis muneris  
 Ephes. 6. nostri operas calceare: doctrinam de Servatore nostro  
 absq; morã amplecti: vitæ emendationem haudquaquam  
 differre: ad migrandum in Patriam paratos esse semper,  
 qui in viã sumus salebrosã peregrini, & miseri exules:  
 2. Cor. 5. at ubiq; verbi divini baculo innitentes. Agnum illi nec  
 Psal. 23. crudum, nec aquã elixatum; sed igni assum, & quidem  
 totum, nullo fracto ossiculo, comedere adigebantur: noster  
 Agnus



Agnus ira divina, qua ignis est consumens, incredibili Deut. 4.  
ardore assus, totus etiã, ( quia fides tota copulativa ) per-  
cipiendus est. ἀζυμοί etiam populo veteri ad esum agni ad-  
hibendi erāt, non verò panes fermentati. his quid aliud,  
quàm doctrina puritatem, vitæq; sanctimoniam notari?  
quid amaris ac sylvestribus lactucis aliud, quàm dolorem  
cordis serium ob turpitudinem delictorū ac multitudinē;  
tum etiam patientiæ studium in profundâ, densâ, mediâ  
calamitate commendari nobis asseremus? Atq; ita hoc u-  
su, hoc esu Agni Paschalis, promissionis de Messia veri-  
tatem, habentibus illi fidem, applicatam fuisse, ob si-  
gnatamque, est perspicuum. Ex quâ comparatione li-  
quidò constat, quantò sit splendidior lux, maior gloria,  
sublimior Majestas Ministerii Spiritus & Justitiæ 2. Cor. 3.  
sub Christo, quàm olim sub Mosis extitit imperio. Vn-  
de quis amplitudinem atq; suavitatem fructuum hujus  
Resurrectionis, de quibus diximus, non saltem persentif-  
cat? Iudæi venturum exspectabant Redemptorem:  
nos exhibitum manifestatumque scimus, credimus, ex-  
perimur. Illis erat umbra rerum futurarum: nobis est Coloss. 2.  
res ipsa, corpus ipsum. Illi futurorum bonorum  
umbram quasi per transfennam contemplabantur:  
nobis ipsam presentium rerum formam luculentè  
expressam coràm intueri licet. Illi oculos obscuris Ebr. 10.  
typorum ac rituum picturis pascebant: nos ad Antitypon



contemplationem animi referentes, omnia plena aperta-  
que in clarissimâ luce perspiciamus, divinarumque pro-  
missionum certitudinem eventu ipso comprobata agno-  
scimus. Velum enim, quod Sanctuario obtendebatur,  
scissum jam est, ipsumque interius Sanctuarium nostris  
jam patet oculis: quippe per Iesum omnia Mysteriorum  
secreta sunt reclusa. Tantò ergò illustriorem, tantò glo-  
riosiorem, tantò prestabiliorem nostri Paschatos esse fe-  
stivitatem, quis ausit ire inficias? Hodie Christus mor-  
tem moriendo destruxit (canit Ecclesia) & vitam re-  
surgendo reparavit. Hodie vitæ author de terrâ viven-  
tium abscissus in vitam rediit. Hodie Dominus gloriæ  
crucifixus, solutis mortis doloribus, in suam introiit ma-  
jestatem. Hodie Dominus vitæ de sepulchrali claustro in  
splendorem lucis; de ignominia ad gloriam, de corruptio-  
ne ad perfectionem, de mortalitate ad eternitatem pene-  
travit. Hodie, Christiani, salutem, vitamque omnium  
nostrum, bona animi, atque hæc corpora nostra, æterni Pa-  
tris indulgentiâ, & admirabili benignissimi Filii amo-  
re, laboribus, obsequiis, periculis, morte, & novâ vitâ,  
ex faucibus orci erepta ac restituta audimus. Quòd si no-  
bis non minùs jucundi atque illustres sunt ii dies, quibus  
certissima morti, aut cuicumque periculo alii eripimur,  
conservamurque; quàm illi, quibus in hanc lucem  
edimur,



edimur, quod salutis certa est latitia, nascendi incer-  
 ta conditio, & quod vita nobis datur sine sensu, cum  
 voluptate conservatur; profecto esse apud nos posterosque  
 nostros in honore debet dies ea, qua aeternus DEI Fi-  
 lius genus nostrum a se conditum amplificatumque ser-  
 vavit, infernales flammam jam circumdatas avertit, te-  
 la in nos contorta retrudit, cuspidemque sulphureos a ju-  
 gulis nostris rejecit: omnia denique ita administravit, ut  
 sanctissima Trinitatis nutu atque consilio & gesta &  
 provisae esse sentiamus. Ea dies omnium regina est, to-  
 tiusque anni Diadema; quandoquidem illa est, qua ere-  
 pti sumus ex crudelissimo & miserrimo interitu, & e-  
 repti sine caede, sine sanguine, sine armis, sine dimica-  
 tione nostra. Vno duce & Imperatore, & bellatore vi-  
 cimus IESU CHRISTO. unum maximumque in hoc  
 presidium, quod nobis in perpetuum comparatum est.  
 In animis igitur nostris omnes triumphos hoc tempore  
 nobis partos, ornamenta omnia honoris, libertatis Insi-  
 gnia, salutis monumenta condi & collocari jubet Reli-  
 gio. Nec aliud postulat ipse Servator noster premium  
 virtutis, insigne meritorum, praeterquam hujus Pascha-  
 tos nostram memoriam perpetuam. nihil mutum dele-  
 ctare illum potest, nihil in animo cogitatum tantum:  
 memoria nostra res suas tam praclare mirificeque gestas

H

vult





vult ali, sermonibus propagari, literarum monumentis  
ab oblivione vindicari. Multi sæpè honores Numini di-  
vino justè habiti sunt, ac debiti, suntq; habendi perpetuò:  
sed profectò justiores nunquam, quàm pro tali tantoq;  
beneficio, hoc ipso tempore. Quare rem nullã, quæ ad ce-  
lebrationem Beneficii, atq; temporis hujus pertinet, præ-  
termittamus. Sic demum fidem historiæ servabimus: sic  
Mirabilia Domini plenius perspiciemus, atq; amplifi-  
cabitur, sic fructuum omnium participes nos reddemus,  
quorum ultimus omnium est optimus maximus, cujus  
causâ Dux noster IESVS CHRISTVS in hanc lu-  
cem editus est, sitiit, esurivit, gemuit, lacrimavit, hor-  
ruit, sudavit, al sit, omne genus contumeliæ devoravit,  
plagas & cruciatus corporis acerrimos perpeffus est, i-  
psamq; adeò mortem, quã acerbiozem nemo mortalium  
unquã subivit, & cujus deniq; causâ gloriosissimè triũ-  
phavit: sic & nos tandè sempiternũ pascha in atriis Do-  
mini DEI nostri incredibili voluptate celebrabimus.

D I X I.

Corrigenda.


D. 3. pro πλω̄ lege πλω̄ν.

E. facie ult. in marg. pro τρομάτων lege σρομάτων.











Fc 1253

ULB Halle 3  
001 852 930




sb.

MC


VO 17











*SALOMONIS FRENCELII*  
DE  
IESV CHRISTO  
REDIVIVO,  
*ET ÆTERNVM TRIVMPHANTE*  
Oratio,  
Habita in incluta IVLIA.



HELMÆSTADII  
Excudebat Iacobus Lucius, Anno  
M. D. xcvi.